A.

DE PSYCHICA SANGUINIS DIGNITATE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PSYCHICO-MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANCISCUS ANTONIUS JUETTING
BORUSSO-GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. HENSELER, MED. ET CHIRURG. DR.
FR. HENKELMANN, MED. ET CHIRURG. CAND.
L. GESKER, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELEBERRIMO

IOA. BAPT. FRIEDREICH

MED. ET CHIRURG. NEC NON PHILOS. DOCTORI, MED. PROF. PUBL. ORD., MEDICO PRACTICO IN ORPHANOTROPHEO WIRCEBURGENSI, ACADEMIAE NEAPOLIS, SOCIETATIS MED. ALTENBURGI, BEROLINI, BONNAE, DRESDAE, SOC. PHYSICO-MEDICAE ERLANGENS., FRANCOFURTI, HANOVIAE, JENAE, LIPSIAE, SOC. RERUM NATUR. MARBURGENS., RATISBONAE, WIRCEBURGI ATQUE TIGURI SODALI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUI

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ut legibus gratiosi medicorum ordinis, cursu academico finito, quantum fieri posset, satisfacerem, ex immensa farragine, quam medicina offert, psychica sanguinis dignitas pro dissertatione inaugurali medica prae caeteris me arrisit. Cum psychologia et psychiatria in specie novissime tantas et tam multas novas disquisitiones experta sit, et adhuc experiatur, in elaborando isto themate nullum ingratum laborem me subiisse puto. Quamquam enim Cl. Nasse nec minus Cl. Friedreich, praeceptores mei summe colendi, eandem materiam jamjam doctissime tractaverint, tamen alia fusius exponere, alia novis supplere atque veterum opinionibus illustrare liceat.

Unusquisque facile intelliget, quantis difficultatibus, qui rem tanti momenti, prout par est, tractare suscepit, prematur; quod spem mihi affert, fore, ut virorum doctorum indulgentia veniaque in me tironem conferatur. Insuper libenter profiteor, Cl. Friedreich, virum liberalissimum, in colligenda materia comiter me adjuvasse, cui igitur palam maximas animi gratias ago

---

Quemadmodum pars organismi humani somatica triplici in modo, nervorum scilicet atque sensuum vita, reproducendi et movendi facultate, triadi omnino analogae, menti nimirum, animo et voluntati correspondet [1]); ita quoque quodvis organon pro sua nobilitate et inferiore majoreve statu in organorum ordine minorem vel majorem dignitatem psychicam tenet.

Veteribus relatio animam inter et corpus reciproca erat cognita; ex eorum vero opinionibus, naturae rei non satis convenientibus, systemata inepta sunt educta. Aevo modo recentiori doctrina psy-

---

[1]) Quod Cl. J. B. Friedreich ita demonstrat: „Die Trias der sowohl somatischen als psychischen Seite des Organismus besteht in 1) Erkennen, 2) Begehren und 3) Bewegen.

1) Dem Erkennen entspricht in somatischer Hinsicht das Nerven- und Sinnnenleben; in psychischer Hinsicht der Geist.

2) Dem Begehren entspricht in somatischer Hinsicht das reproductive System, Stoffaufnahme und Stoffausscheidung; in psychischer Einsicht das Gemüth und

3) Dem Bewegen entspricht in somatischer Hinsicht das Bewegungsleben, Muskelsystem etc., in psychischer Hinsicht der Wille." (Vide Friedreich, Versuch eines neuen Systems der Erscheinungen des gesunden und kranken Lebens. Würzburg, 1825,)

cho-somatologica, antea parum perspecta, magis magisque est illustrata. Doctrina de relatione inter animam et corpus, dicit Cl. Nasse [1]), basis est morborum psychicorum doctrinae.

Praecipue quidem partes solidae et inprimis systematis nervorum organon centrale vim hancce mutuam conciliant, earumque partium morbi diversimode animam turbant, et vice versa animae perturbationes hasce praesertim afficiunt. Quamquam autem sanguini inferior sit dignitas, partibusque modo dictis par haberi non possit, isti tamen, tanquam corporis humani parti primariae, nutritioni omnium partium inservienti, Macrocosmum semper tangenti conspicua dignitas psychica negari nequit. Antiquissimi medici sanguinis abnormitates frequentes morborum psychicorum causas suspicavere. In Hippocratis, Celsi, Galeni, Aëtii, Alex. Tralliani, J. Montani, Fr. Valesii aliorumque scriptis multa invenimus argumenta, quae, quanti veteres sanguinis statum ratione psychica habuerint, demonstrant.

Exinde temperamentorum divisio juxta Galenum, quae adhuc valet et e statu praecipue sanguinis desumta est. Alberti primus in dissertatione „de commercio animae cum sanguine" Hall. 1710 edita psychicam sanguinis dignitatem accurratius explicavit; novissimoque aevo Cl. Nasse [2]) et Cl. Friedreich [3]) hanc rem ex ovo tractavere.

---

[1]) Zeitschrift für psychische Aerzte, I. H. 1822. p. 12.

[2]) l. c. p. 91.

[3]) Diagnostik der psychischen Krankh. Würzburg, 1829. p. 117.

CAP. I.

DE DIGNITATE SANGUINIS PSYCHICO-PSYSIOLOGICA.

Quamquam e physiologia experimentali atque chemia organica parum adhuc apparuerit, quod sanguinis partes constitutivas exponere ejusque dignitatem psychicam dilucidare possit, quae exstant, liset perpauca, sufficiant, opinor, ut intelligamus, sanguinis quantitatem et qualitatem, rationem peculiarem sanguinis elementorum ejusque commutationem e transfusione natam ubicunque perinsignia secum ducere animae phaenomena. Mansuetudo et feritas animalium, dicit Cl. Grohmann [1]) rapax non domanda ferorum vita, somnus atque inertia bradypodis potissimum e sanguinis natura, praecipue relatione ista venas inter et arterias, polos quasi dormientis ac vigilantis vitae, originem ducit. Partes quoque compactas, cerebrum scilicet atque nervos multum ad varios affectus animaliumque instinctus contribuere, negari nequit; ex his vero non omnia dependere, jam inde patet, quod variis in animalibus ejusdem generis, psychice admodum inter sese diversis, in partibus compactis non tantopere abhorrere. [2]) Sanguinis quoque copia diversis in animantibus ejusdem generis decrepat; major v. c. sanguinis quantitas in iisdem observatur bestiis feris ac in iis quae domicilio nostro adsuetae sunt,

---

[1]) Friedreich's Magazin für Seelenkunde, III. H. 1830. p. 1. Ueber das Gehirnleben etc.

[2]) Grohmann l. c.

eodem modo minoris generis animalia, si ad eorum corporis volumen respexeris, multo majore sanguinis copia gaudent ac majora [1]). Magni momenti est crassamenti ac seri ratio diversis in animalibus. Auctore Cl. Thackrah [2]) canis sanguis plus continet crassamenti ac illi bovis, hic vero plus ac sanguis equi: qua ex re Thackrah concludit, plures hujus rei disquisitiones sua opinione demonstraturas, »placentae copiam in animalium sanguine cum robore atque feritate congruere,« nusquam enim, inquit, »se tantum seri invenisse, quantum in pavido agno, nec usquam tantum crassamenti quantum in cane rapace.« Calor sanguinis quoque et globuli et halitus in diversis animalibus discrepant; caremus tamen adhuc disquisitionibus, quae simulac istorum animalium vitam psychicam sub diversis, quas adtulimus, conditionibus adnotassent.

In animalibus per hiemem dormientibus, in foetu, quo animae functiones adhuc silent, imo vero non existunt, sanguinis circuitus est imminutus ejusque natura venosa praevalet [3]). Quod vero hominem attinet, jam ingressus erectus hac ratione magni est momenti, quo scilicet sanguinis impetus in caput imminuatur. Propria quoque venarum arteriarumque sanguinis ratio multum ad sanguinis vitam, tanquam vitae animalis immediatae conditionem, temperandam, cerebrique vitae principatum concedendae confert.

Auctore Cl. Grohmann [4]) in animalibus san-

---

[1]) Berthold Physiologie. Gött. 1829. Th. I. p. 227.

[2]) Inquiry into the nature and properties of the blood. Lond. 1819.

[3]) Haller de corp. hum. fabrica p. 32.

[4]) l. c.

guinis vita relata ad cerebri vitam ut 6:3, in homine vero vita cerebri ad sanguinis vitam ut 8:4 se habet. Eminent etiam homines, qui collum brevius crassiusque habent, plerumque animo impavido fortitudine atque audacia[1]).

Temperamentorum diversitas procul dubio e singulari sanguinis qualitate non parum dependet, nec solum partibus firmis innititur. Praevalet in temperamento *reproductivo* serum, in *irritabili* materia fibrina, in *sensibili* mox cruor mox fibrina.

Insignem quoque merentur attentionem animae diversitates, quae e varia vitae, aëris etc. ratione, sanguinis naturam commutante, profluunt. Comparemus, inquit Cl. Feiler[2]), populos aevi antiquioris atque recentioris victu animali ac vegetabili degentes, illos videmus maxime torosos, immanes autem et crudeles neque indolis ad artes excollendas neque animae facultatum expertes, inertes autem atque tardos, hos contra multo mitiores, laboriosos, artifices animique laborum amicos. Quantas autem animae mutationes aëris Gasisque varii vis, sanguinem commutans, proferat, experientia edocemur. Nobilis a Saussure, qui cum eodem Balmat, aliisque octodecim sociis anno 1797 montem Mont-blanc ascendit, quum in sublime venisset, corpore languit; pulsus ejus micuit 100 ictus, quum vero esset in valle et nondum excitatus, 72 ictuum erat. Nausea, prostratione virium, animoque aequo ac lasso quivis plus minusve tenebatur[3]). Quo altiorem ascendimus montem, dicit Osiander[4]), eo

---

[1]) Heusinger in prael. anthrop.

[2]) Handbuch der Diätetik. Landsh. 1821. p. 70.

[3]) Feiler l. c. p. 43.

[4]) Ueber den Selbstmord. Hannov. 1813.

magis descendit mercurius in barometro; eo magis defatigatus, confectus, lassus imbecillis viator, eo quoque tristior moestior, magisque vitam spernit. Brumis nebulosis praecipue tempore aequinoctii, quo semper repentinae in aëris elasticitate varietates, multas mutationes in ventorum directione atque vi observamus, mortem voluntariam frequentissimam in Anglia esse scimus [1]). Insaniam, inquit Arnold, aestate esse crebriorem, sirio urente vero creberrimam nec minus etiam omni diuturna fervida atque aestuosa tempestate [2]). — Maxime attamen sanguinis dignitas psychica elucet e *transfusione* [3]) Multa scilicet existunt experimenta et in hominibus et in animalibus instituta, quae nobis exhibent, sanguinis normalem mixtionem transfusione alteratam semper notabiles commutationes psychicas inducere. Si quidem vero illae praecipue a sanguine subito mutato originem duxerint, mutationis quoque psychicae, transfusione ortae, modus dignitatem psychicam, sanguini ipsi convenientem, magis illustrabit [4]). Perlustremus igitur facta, quae experientia nos docuerit.

Ut primo loco de sanguinis transfusione in animalibus loquamur, attamen multa, quamquam vox nulla psychicam alienationem exprimere posset, magni momenti facta ad illustrandam rem nostram sese offerunt.

---

1) Osiand. l. c.

2) Osiand. l. c. p. 211.

3) Scheel, die Transfusion des Blutes und Einsprützung der Arzeneien in die Adern. Th. I. Copenh. 1802. Th. II. 1803. Friedreich in den Jahrb. der philosoph. mediz. Gesellschaft zu Würzburg. Bd. I. 1. Hft. p. 105—159. J. F. Dieffenbach, die Transfusion des Blutes etc. Th. I. Berlin, 1828.

4) Nasse l. c.

Ovis, cui King [1]) e bovis vitulini vena sanguinem infuderat, tantopere audacem se praestitit, ut statim canem, qui aderat, adoriretur; similem eventum psychicum Scarpa [2]) in ove, cui quoque ex vitulo sanguis erat infusus, observavit. Canis femina aetate decrepita, cui Denis et Emmerez [3]) caprae sanguinem injecerunt, non solum alacris, sed etiam salacissima facta est. Senex quoque canis, cui Gayant [4]) sanguinem canis junioris injecerat, operatione transacta vividissimum se praestitit. Vulpes, cui King [5]) ovis sanguinem infuderat, pavidiorem se reddidit, nec amplius cibum potumque sumpsit, adhuc vero latrabat et baculum propositum morsu furenti arripuit. Ovillum, cui Rosa [6]) sanguinem vituli inscruerat operatione peracta quasi furens apparuit. Nec in ullo tamen animali pristina consuetudo penitus evanuit. Canis cui Lower [7]) ex alius canis arteriis, quantum poterat, totam sanguinis copiam transmutaverat, statim, vinculis liberatus, blandiens ad dominum suum se convertit. Simili modo canis, cui Denis et Emmerez [8]) sanguinis alius canis infuderant, se habuit.

Majoris momenti majorique, quoad rem nostram commodo illa habenda sunt transfusionis experimenta in hominibus instituta, quippe quum haec sanguinis dignitatem psychicam magis illustrare possunt. Ju-

---

1) Scheel l. c. Bd. I. p. 65.
2) Scheel Bd. II. p. 156.
3) Scheel Bd. I. p. 104.
4) Scheel p. 120.
5) Scheel Bd. I. p. 68.
6) Scheel Bd. II. p. 104.
7) Scheel Bd. I. p. 49.
8) Scheel Bd. I. p. 80.

venis, memoria penitus abolita, inertia atque insigni somnolentia detentus, cui Denis [1]) vituli sanguinem injecit, somnolentia, quam antea superare nequibat, liberatus est, priorque animi stupor omnino evanuit. Alius aeger, apud quem Denis et Emmerez [2]) transfusione usi sunt, ante operationem mutus, et, ut videbatur, mentis non compos sopore atque convulsionibus detentus recubuit; sanguine autem e vitulo in arterius injecto, tenacioris conscientiae exhibuit argumenta, variisque linguis cum amicis prudenter collocutus est. Tertius, qui aegrotabat, cui Denis et Emmerez [3]) bis vituli sanguinem injecerunt, vir insaniens, noctem quidem primam post operationem transegit deliriis, prima sequentis luce autem minus deliravit; operatione denuo instituta per decem horas dormivit, ex quo somno cum expergefactus esset, tam sui compotem atque sanum se praestitit, ut clerici quoque accedere ad Domini coenam eum permitterent. Non, ut antea, uxorem suam adspiciens, irabundus in eam erupit, non, ut solebat, castigavit verberibus, sed blandissime eam excepit, accurateque omnia ei narravit, qualiacunque secum peracta.

Viro 34 annorum, amore infelici mente capto, Denis [4]) vituli sanguinem infudit; aeger animi pacem mentisque facultates paulo post perfecte recuperavit. Mulier paralysi laborans, cui Denis [5]) ex ove arteriarum sanguinem infudit, non tantum movendi et percipiendi facultatem, sed etiam vim

---

[1]) Scheel Bd. I. p. 89.
[2]) Scheel Bd. I. p. 104.
[3]) Scheel Bd. I. p. 124.
[4]) Scheel Bd. I. p. 124.
[5]) Scheel Bd. I. p. 132.

psychicam denuo sibi conciliavit, multoque hilarior et excitatior evadit.

Ex quibus omnibus satis, ni fallor, intelligitur, sanguini insignem dignitatem psychicam esse tribuendam. Quaecunque hac in re ab iis opposita fuere, qui contenderunt, psychicas commutationes transfusione factas, non sanguini, sed ex operatione profectae anxietati, dolori etc. esse impertiendas, Cl. Nasse [1]) et Cl. Friedreich [2]) plus satisque refutarunt. Dubium ergo nobis esse nondum potest, sanguinem ipsum, si ejus vitam internam partesque constitutivas respexeris, in provocandis mentis morbis, haud exiguam dare ansam.

CAP. II.

DE DIGNITATE SANGUINIS PSYCHICO-PATHOLOGICA.

In antiquissimorum medicorum scriptis multae observationes occurrunt, comprobantes, morbosum sanguinis statum non raro alienationes psychicas protulisse. Licet veteres sanguinis chemismum hac ratione graviorem habuerint, atque crasso melancholico sanguini nimis interdum adscripserint, tamen operae pretium erit, ut paucis eorum opiniones commemorem. Qualia fere omnia veterum placita, fusius exposita insuper critice illustrata invenies, si

---

[1]) l. c. p. 104 u. 105.

[2]) Diagnostik der psych. Krankh. p. 121.

insigne illud opus a Cl. Friedreich [1]) nuper editum evolvis. —

In libris *hippocraticis* [2]) legitur: „a sanguine, qui homini inest, multum et ut alii volunt, omne dependet, an mente sanus nec ne. Sanguis fervidus fervefacit corpus totum, aeger delirat, et tam ex febris vehementia quam e sanguinis tenuitate ejusque circulo nimis agitato dementia corripitur. Aequiparendi sunt melancholicis in delirando furiosi. Melancholici in morbum incidunt, sanguine pituita atque bili corrupto, loquuntur amentis instar, nonnulli etiam saeviunt." Galenus [3]) latius de sanguine melancholico dicit, et in melancholia disserte distinguit, utrum omnis sanguinis massa, an cerebri tantum sanguis sit correptus. Aëtius [4]) in cap. de *insania* non solum flavam bilem sanguini admixtam causam insaniae affert, sed etiam eam saepe a multo sanguine non putrefacto ad cerebrum confluente oriri, subtiliter declarat. Alex. Trallianus [5]) quoque sanguinis abundantiam melancholiae causam significat. In melancholia, inquit, sanguine melancholico oriente, aegrotantes tristes sunt et timidi, mortem obire cupiunt, diffidunt amicis atque incongruas edunt ideas. Neque veterum ullum reperitur opus, in quo morborum psychicorum mentio fit, quo non sanguinis abundantia sive atra bili inquinatus sanguis etsi non omnium, attamen plurima-

---

[1]) Literärgeschichte der Pathologie u. Therapie der psych Krankh. Würzb. 1830.

[2]) De morbis lib. I. cap. XII.

[3]) De locis affectis lib. III. cap. 6. 7. 10.

[4]) Tetrab. II. Serm. II. cap. II.

[5]) De arte medica lib. I. cap. 17.

rum insaniae specierum causa habetur. Omnes quidem de melancholia tractantes succum melancholicum, atram bilem commemorant, et in vulgus notum est, auctores longe plurimos sub melancholiae notione mentis morbos ad unum omnes intellexisse. Joh. Bapt. Montanus [1]) v. c. pluribus de succo melancholico loquitur,

Porro Fr. Vallesius [2]): „Melancholia morbus, dicit, non fit sine melancholico succo, genito aut in ipso, si est affectus proprius: aut alibi, si est per consensum.... intemperies facit succum nigrum, obscuratio spiritus facit metum et moestitiam." — Hieronymus Mercurialis [3]) maniae tres species proponit, in quibus pariter sanguis atque bilis principatum tenent, maniam nempe sanguineam, maniam a bile, et maniam melancholicam, Simili modo in omnibus melancholiae speciebus, a Daniel Sennert [4]) expositis, humor melancholicus primum locum habet. Melancholiam ex utero ortam duplici modo declarat: "vel enim sanguis melancholicus per menses evacuari solitus exitum non habens, regurgitat, aut in hypochondriis aut vasis totius corporis cumulatur; vel in ipso utero a sanguine retento vitiosa depositio inducitur, et ab humoribus pravis in utero cumulatis vapores melancholici ad cerebrum elevantur." Pari modo Ettmüller [5]) causam maniae et melancholiae proximam materialem sanguinis

---

[1]) Consilia med. P. 1. cons. 16. 17. 18.

[2]) Controv. med. et philos. Complut. 1564. fol. lib. V.

[3]) Praelect. batav. de cogn. et curand. hum. corp. affect. lib. I. cap. X. XI. XVI.

[4]) Practica med. lib. VI. lib. I. P. II. cap. XIII.

[5]) Prax. lib. II. Sect. III. cap. IV.

dyscrasiae atque constitutioni atrabilariae tribuit. Nenter [1]) de melancholia et mania uterina virginum et viduarum mentionem facit, dicens, has praecipue virgines viduasque mensium ataxia, intestinorum obstructione et sanguine crasso laborantes corripere. H. Boerhaave [2]) eodem modo in atra bili melancholiae naturam collocat. Fr. Hoffmann [3]) quoque, melancholiam maniamque gradu tantum distinguens, utriusque naturam e causa pari, nempe sanguinis congestione in cerebrum aucta ducit. Nec minus sanguinis chemismum et qualitatem in provocandis morbis psychicis respexit; quod elucet e definitione, quam de mania proposuit: "Mania vero est violenta insania cum temeritate et ingenti membrorum robore conjuncta, a vehementiore sanguinis crassi, copiosi et melancholici per cerebri vasa cum magno aestu transpressione proveniens."

Veteres non solum doctrinis, sed etiam cadaverum autopsia opiniones suas stabilierunt. Jam Bonnet [4]) multa dissecavit maniacorum cadavera. Meningis durae vasa sanguine atro impleta et sic extensa, ut aneurismatum faciem prae se ferrent, meningis piae vasa eodem modo plus minusve vidit extensa. Cl. Morgagni [5]) in cadavere insani cerebri substantiam durum et cerebri vasa sanguine atro impleta invenit. Hallerus [6]) ille quoque

---

[1]) Fundam. med. theor.-pract. T. 2. p. 784 — 97.

[2]) Aphorism. de cogn. et cur. morb. §. 1089 — 1118.

[3]) Medin. ration. syst. T. IV. P. IV. c. VIII. §. I. §. VII.

[4]) Sepulcretum sive Anatomia practica ex cadaveribus denatis. T. I. lib. I. Sect. VIII u. IX.

[5]) De sedibus et causis morb. per anatomen indagatis lib. V. Epist. VIII. art. 12.

[6]) Element. Physiol. lib. XVII. Sect. I. Tom. V. p. 571 — 74.

multarum sectionum ex antiquorum operibus collectarum reperta ennarrat, in quibus semper sanguinis qualitas primas partes agit. —

Ex quibus omnibus apparebit, quanti veteres sanguinem in provocandis animae morbis habuerint. Quamquam nonnulla leviori ac materiali modo pertractata sunt, nihilominus eorum observationes attentionem nostram semper merentur, quippe cum dynamica explicandi methodus sola non sufficiat, et unice, si organismi humani partem somaticam et psychicam pari modo accurate perpendimus, psychicos morbos hucusque non satis perspectos magis magisque illustrabimus. Explicare nunc liceat, sanguinis abnormitates, quatenus istae morborum psychicorum causae prodeant, imprimis ad duas revocari posse, equidem *primo* ad *qualitativam secundo* ad *quantitativam* abnormitatem.

§. 1.
ABNORMITAS QUALITATIVA.

Quae res quanti momenti fuerit veteribus, supra expositum est. Sed etiam recentiorum disquisitiones partim veterum observationes affirmavere, partim doctrinas novas nos docuerunt.

Quod pondus specificum sanguinis spectat, Thackrak [1]) viri sanguinem mania laborantis $\frac{1}{30}$ graviorem invenit. Albers [2]) vidit in mania pondus specificum 1,041. in melancholia 1,040. Specifici ponderis varietas, ut ego quidem censeo, in

[1]) l. c. p. 88.

[2]) Dissert. inaug. de signis ex sanguine Auct. Zanders Bonn, 1828. p. 21.

irregulari sita est ratione serum inter et crassamentum.

Graviores atque crebriores animi perturbationes sanguini *elemento carbonico* nimis scatenti sive venositati, quam dicunt, morbosae ortum debent. In foeminis, si menses nondum scaturiunt vel jam cessaverant, nec minus haemorrhoidibus suppressis et in puerperis principium carbonicum abundare constat; hisque etiam periodis animae perturbationes potissimum venire, cuique medico abunde notum est. Ex hac morbosa sanguinis ratione frequentissime oritur melancholia [1]), quae moerore in certam ideam fixo, vitae taedio, voluntate sibi mortem consciscendi plerumque sese manifestat, nec minus etiam melancholia religiosa prodit. Osiander [2]) quoque constitutionem atrabilarem, bilis alteratam secretionem, sive principii carbonici abundatiam in sanguine bilique, praesertim haemorrhoidibus retentis, haud exiguam causam mortis voluntariae somaticam habet. Ex quo ad Osiandri opinionem sequitur, Aethiopes prae aliis, principio carbonico in sanguine venosa semper praedominante, ad mortem voluntariam tantopere esse inclinatos. Mensibus suppressis animae alienationum exempla fere omnibus in scriptis occurrunt.

Maxime vero memorabile est in evolutione muliebri phaenomenon tam saepe occurrens, combustiones atque incendia nimirum instituendi cupido, sive cupiditas luminis morbosa, quae auctore Cl. Friedreich [3]) non minus ex nimia imprimis aucta

---

[1]) Friedreich, Diagn. d. psych. Krankh. p. 101—111.
[2]) l. c. Ueber den Selbstmord. p. 28.
[3]) Diagn. der psych. Krankh. p. 140. Cf. etiam Fried-

sanguinis venositate nasci dicitur. Puellae, in quibus illa cupiditas apparet, versantur in illo statu, quo menses imminent, sive serius veniunt. Quae ignis cupiditas, Cl. Friedreich [1]) auctore, etiam in Cretinis, quorum cerebrum quasi demersum sanguinis venosi recursum prohibet, conspicitur. Si denique ad haemorrhoides respicimus, sanguinis hisce retentis vel suppressis adlata perversa conditio non raro mentis alienationes, easque depressione psychica conjunctas, profert. Procul dubio, his exceptis, plures adhuc sanguinis alius naturae morbi mentis alienationibus favent, vel tamen easdem commitantur: cujus vero rei disquisitiones necessariae adhuc desiderantur.

§. 2.

ABNORMITAS QUANTITATIVA.

Quantitativa sanguinis ratio triplici modo a norma recedere, eoque morbis psychicis ortum offerre potest, scilicet:

a) *sanguinis abundantia in genere* (plethora univers.).

b) *nimia sanguinis in corporis partibus singulis accumulatio* (plethora partialis).

c) *immodica sanguinis jactura.*

ad a. Jam Alex. Trallianus [2]) disserit de melancholia plethorica, dicens, facie rubra atque turgida, venis tumidis, variisque hallucinationibus esse significatam. Mercurialis [3]) iisdem annuit

---

reich zur Psychagogie des Lichtes und der Farben: in seinem Magazin für Seelenkunde, 2 H. p. 165,

[1]) l. c. p. 141.

[2]) l. c. p. 100—103.

[3]) l. c. cap. XVI. de mania.

de mania sanguinea. Chiarugi [1]) quoque in opere suo praestanti commemorat maniam ex sanguinis abundantia in vasorum systemate exorientem.

Ad b) Fontem morborum psychicorum uberiorem procul dubio *plethora partialis* largitur, et quidem imprimis plethora *capitis* et plethora *abdominis.* Qua de re observationes permultas in scriptis et veterum et recentiorum habemus, quorum complures in capite priore commemoravimus. Igitur alias citare, abundare videtur. Major quoque morborum psychicorum pars, qui suppressis mensibus, haemorrhoidis, fluxuque lochiorum retento nasci possunt, hic est referenda, quum, ut cognitum omnibus, hisce profluviis suppressis sanguinis congestiones ad caput venaque portarum nimio sanguine repleta adducantur. Nonne complures quoque morbi psychici, qui corde laborantibus observantur, alterato ad caput sanguinis affluxu inhaereant?

Adnotandum quidem est, in iis praesertim cordis morbis, quibus sanguinis ad cerebrum impulsus adaugetur, morbos psychicos *exaltatos*, contra vero in iis, quibus sanguinis circuitus retardatur, plerumque *depressos* incedere. Iracundiam v. c. Cl. Corvisart [2]) phaenomenis aneurismatis cordis adnumerat; nec minus in carditide saepius delirium atque mania occurrit [3]). Corvisart [4]) vero in cadavere juvenis, qui in paroxismo melancholiae veneno mor-

---

[1]) Abhandlung über den Wahnsinn. Aus dem Italien. Lips. 1795. lib. 2. p. 301—407.

[2]) Sur les maladies et les lesions organiques du coeur, Par. 1806 p. 128.

[3]) Testa, über die Krankh. des Herzens. Aus dem Ital. Hall. 1813. p. 234—40.

[4]) l. c. p. 34.

tem sibi consciverat, cordis cum pericardio coalitionem; Cl. Nasse [1]) apud tres cordis affectiones, sanguinis circuitum languidiorem reddentes, delirium melancholicum vidit. Negari autem nequit, multas mentis alienationum species ab aegrotante corde ipso dependere.

Ad c) Post nimiam sanguinis jacturam saepe morbos oriri psychicos inter omnes constat. Jam a Swieten (Comment. in H. Boerhaave Aphorism. §. 662. T. II. p. 273.) narrat: »Furentis maniaci immane robur sic fractum vidi, ut nequidem artus movere posset: sopito quidem omni furore, sic tandem, ut immedicabilis fatuitas successerit.« Alias quoque turbationes psychicas, praecipue magnum pavorem, visiones, melancholiam tristem [2]), hydrophobiam [3]) etc. magna ex sanguinis jactura profectum esse, neminem latebit.

CAP. III.

DE DIGNITATE SANGUINIS PSYCHICO-THERAPEUTICA.

Quum sanguini, ut ex supra dictis satis elucet, dignitas psychica diffidi nequeat, atque in multis morbis psychicis sanguinis abnormitates reperiantur; rectis sub indicationibus actio quoque in qualitatem nec minus quantitatem sanguinis suscepta, talibus in casibus gravis psychica sanandi methodus est habenda. Actio vero therapeutica in sanguinis che-

---

[1]) Zeitschrift 1818. 1. II. p. 57.

[2]) Conradi, Handb. der spec. Pathol. etc. Bd. II. p. 4.

[3]) Haase, Chronische Krankh. Bd I. p. 198.

mismum duplici imprimis modo institui potest, 1) scilicet, *transfusione*, 2) *venaesectione*.

Ad 1) Inter veteres primus Ettmüller [1]) in melancholia et mania transfusionis sanguinis usum commendat, tunc praecipue, quo sanguinis dyscrasia adsit. Quanto eventu prospero in morbis psychicis recentiore aevo adhibebatur, in cap. I. commemoratum est, quam ob rem, ne ruminemus, illa revocamus in memoriam. Quod vero indicationem ad transfusionem attinet, facile intelligitur, eam potissimum tunc adhibendam esse, ubi morbus psychicus a magna nervorum systematis debilitate, nimia scilicet sanguinis aliorumque humorum jactura vel dyscrasiis quibusdam generata, dependet. De methodis diversis transfusionis instituendae atque regulis in hac operatione observandis confer:

Friedreich's Jahrb. der philosophisch-medicin. Gesellschaft zu Würzb. Th. I. p. 137—141.

J. F. Dieffenbach, die Transf. des Blutes etc. Berl. 1828.

Commemorandus hic etiam usus sanguinis internus, quem inter veteres prae aliis Nenter [2]) et Boencken [3]) in morbis psychicis commendarunt. Ille asini sanguinem contra maniam tanquam specificum laudat. Cujus formula haec est:

Rp. Panni linei, sanguini asinino imbuti q. s.
inf. in V anagall. vel Hyperic. donec
tinct. elicita sit.
Det. cum regimine sudorifero.

---

[1]) Dissert. de Chirurg. transf. Concl. XIII. Genev. 1736.

[2]) l. c. p. 784—97.

[3]) Fränk. Sammlung von Anmerk. aus der Naturlehre etc. Nürnberg, 1762. VI. Bd. p. 498.

Boenecken asini sanguine melancholiam sanatam narrat: »Mulier quaedam variolis vexata tandem melancholia est correpta, quae, convulsionibus conjuncta, etiam variolis sanatis, adhuc remansit: asini vero sanguine exhibito omnino cessit melancholia.«

Ad 2) Majoris autem, quam sanguinis asini antiquus, et quoque, quoad eventum, quam sanguinis transfusio *Venaesectiones* habendae sunt. Jam veteres eas morbis in psychicis multis laudavere. Sic Aretaeus [1]) ad sanandam melancholiam sanguinis missionem valdopere commendat et eandem in latere dextro instituendum saudet; ut a ejore opportuna fiat effusio. Pari modo Galenus [2]) eandem in curanda melancholia proponit. Aetius [3]) ad sanandam insaniam praeter diaetam levem, laxantia ac evacuationes per nasum sternutatoriis productas, tam universales quam locales sanguinis missiones, et quidem e vena frontali media atque hirudinibus circa caput totum positis, caeteris praefert. Ad debellandam lycanthropiam venaesectionem magni aestimat, et quidem usque ad animi deliquium. Pariter Alex. Trallianus [4]) in melancholia, facie rubra turgidaque venis tumidis variisque animi perturbationibus se exhibente, eandem proponit. In mulieribus, eo suadente, venaesectio in pede instituatur, et, sanguine in cerebro accumulato, vena frontalis secetur. Ettmüller [5]) vero et Lanzoni [6]) arteriotomiam ipsam in delirio maniaco valdopere

---

[1]) De curat. morb. lib. I. cap. V.

[2]) De locis affect. lib. III. cap. X.

[3]) Tetrab. II. Serm. II. cap, 8. p. 275.

[4]) l. c. p. 100—105.

[5]) l. c. lib. II. cap. IV.

[6]) Oper. omn. Lausann. 1738.

commendarunt. Nec minus Fr. Hoffmann [1]) venaesectionem ut efficacissimum aestimat remedium. Raulin [2]) quoque se arteriae temporalis sectione complures sanasse furiosos affirmat. Perfect [3]) ille melancholiam sanguinis missione sanavit; qua occasione animadvertit, venaesectiones multis in casibus praejudicio falso negligi; pulsu suppresso, contracto et duro, partibusque firmis nimis relaxatis, humorum circuitum accelerandi ac secretiones promovendi, incongruis, tunc sanguinis missionem esse indicatam. Pariter Haslam [4]), cujus insanis medendi methodus mere est psychica, venaesectioni non est inimicus, eamque praecipue in mania ac melancholia saluberrimam reperit.

Exposci autem venaesectiones in morbis psychicis, qui status phlogisticos, congestiones activas, plethoram veram etc. causam agnoscunt, expositionem fusiorem non desiderat.

Si itaque sanguini re ipsa dignitas psychica competit, in eum quoque actiones, cujusve modi sint, etiamsi morbis in psychicis non magnae sanguinis abnormitates occurrant, usui esse debent. Ut autem saltem insaniae formas primarias, in quibus in sanguinem actiones salutares fieri possunt,

---

[1]) Med. ration. syst. Tom. IV. Cap. XI.

[2]) Observat. de Medic. Par. 1754.

[3]) Annalen einer Anstalt für Wahns. v. Perfect. Aus dem Engl. von E. W. Heine. Hannov. 1804. p. 10. 13.

[4]) Beobachtungen über den Wahns. v. J. Haslam. Aus dem Engl. übers. Stendal, 1800.

investigemus, exponitur, peculiarem naturam notionis psychicae sanguini tribuendae accuratius eruere. Licet ad hanc quaestionem dilucidandam factis atque observationibus sufficientibus omnino destituimur, attamen ex omnibus hucusque de psychica sanguinis dignitate prolatis satis intelligatur, sanguini majorem relationem ad animum (Gemüth) quam ad aliam psyches functionem convenire. Hoc antiquorum recentiorumque medicorum observationes supra adductae argumentantur; nec minus relatio facultatem formandi, si spectas partem somaticam, inter atque animum in psychica parte. Sanguis vero tanquam rex totius vis formandi potest haberi. Etiam physiologia comparata dicta nostra confirmat, docens: minora mamalia et praecipue fera, quorum respiratio, circulatio nec non temperatura eas aliorum animalium vigore intensitateque superant, partim celeritate magna atque vivacitate, partim crudelitate praestare [1]); alia contra animalia e. g. Bradypos, cujus sanguinis circuitus arteriis magnis interruptis impeditur, magnam inertiam somnolentiamque indicare [2]). Argumentum quoque nostrum comprobat, quod ex magnis animi affectionibus e. g. gaudio permagno, ira etc. insignes sanguinis mutationes, orgasmi scilicet, congestiones ad caput, faciei calor et rubor, pulsus accelerati etc., sicuti vice versa ex animi affectionibus deprimentibus, moerore nimirum, tristitia, luctu etc. magna sanguinis circuitus inertia, pulsus tardi, facies pallida etc. exoriantur.

---

[1]) Goldfuss Zoologie etc. §. 640. Rudolphi's Physiologie. Bd. II. 2. Abth. §. 310.

[2]) Carus, Grundzüge der vergl. Anatomie und Physiol. Bd. III. §. 9.

Aliud autem est excelsioribus mentis functionibus. Non solum non sanguinis cursus acceleratur, non oriuntur sanguinis orgasmi, sed respiratio cordisque pulsus tranquillior plerumque evadit. [1]) Non frustra operaeque pretium erit, in curandis morbis psychicis praecipue in *animi* morbis, in melancholia scilicet insania atque in mania sanguinis statum accurate respicere. Procul dubio enim praestat, modo indicatum sit, sanguinem ipsum aggredi, ac multa remedia, singulis tantum experimentis comprobata, in usum vocasse.

---

[1]) Nasse, über die psych. Bedeutung der Respiration l. c.

CURRICULUM VITAE.

Ego Franciscus Jütting, Guestphalus, Monasterii anno MDCCCVII die mens. Novembris natus, fidei catholicae addictus sum. Patrem Bernh. Jütting adhuc vivum veneror, matrem Gertrudem e stirpe Beckmann jam dudum defunctam lugeo.

Primis litterarum elementis imbutus decimo tertio aetatis anno Gymnasium monasteriense per annos sex sub Directore Cl. Nadermann frequentavi. Abiturientium examine superato testimonium maturitatis adeptus m. Octobris a. MDCCCXXVI universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam adii. In numerum civium academicorum receptus sum a Cl. Noeggerath hoc anno Rectore Magnifico, atque in gratiosi ordinis medicorum Album Decanus Cl. Nasse, me inscripsit. Per sex semestria hac in Academia hisce praelectionibus interfui:

Logice et psychologia Cl. van Calker, zoologia Cl. Goldfuss, mineralogia Cl. Noeggerath, botanice generali Cl. Nees ab Esenbeck

sen., botanice pharmaceutica Cl. Nees ab Esenbeck jun., physice experimentali Cl. de Münchow, chemia experimentis illustrata Cl. G. Bischoff, Anthropologia Cl. Ennemoser me instituerunt.

Ex medicorum ordine: encyclopaediam medicam Cl. Müller, osteologiam, syndesmologiam et anatomiam generalem Cl. Weber, anatomiam specialem, anatomiam et physiologiam foetus, physiologiam experimentis illustratam Cl. Mayer mihi exposuit, qui quoque unacum Cl. Weber in arte cadavera dissecandi per duo semestria mihi praeceptor fuit. De pathologia generali et speciali, diaetetica, et morbis syphiliticis Cl. Harless disserentem audivi nec minus ejus de Celso praelectiones cum disputationibus latinis frequentavi. Materiam medicam, artem formulas medicas rite concinandi, medicinam forensem Cl. E. Bischof, chirurgiam, de oculorum morbis rite cognoscendis et curandis, operationes chirurgicas nec non instrumenta ad illas perficiendas idonea Cl. a Walther, theoriam medicinae practicae et morbos infantum Cl. Naumann, therapiam generalem et specialem nec non morbos psychicos Cl. Nasse, artem obstetriciam, apparatum instrumentorum obstetriciorum Cl. Kilian mihi exposuit. In exercitationibus clinicis medicis Cl. Nasse, in chirurgicis et ophthalmiatricis Cl. a Walther per unum semestre duces habui.

Tentamine philosophico absoluto a. MDCCCXIX m. Octobris universitatem, quae Wirceburgi floret, patii, ibique Rectore Magnifico Cl. Ri-

charz cives academicus receptus sum. Hac in alma litterarum sede per duo semestria praelectionibus Cl. Pickel de chemia pharmaceutica et experimentali, Cl. Münz de anatomia pathologica ac zootomia, Cl. J. B. Friedreich de morbis psychicis atque semiotice interfui:

In clinico medico per duo semestria practicando Cl. Schoenlein, in clinico chirurgico itidem per annum practicando, Cl. Textor moderatores habui. In exercitationibus ad simulacrum et doctrina de morbis muliebrum nec non in Xenodochio obstetricio per unum semestre practicando Cl. d'Outrepont mihi dux fuit.

Wirceburgo relicto a. MDCCCXXX m. Octobris hanc almam musarum sedem Fridericam Guilelmam me contuli, ubi Rectore Magnifico Cl. Hegel civus academicus receptus et Decano Cl. Wagner in Album relatus sum.

Tentamine philosophico et medico nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero, fore ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina atque chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arteria non est irritabilis.

II.

Inter morbum atque naturae vim medicatricem nullum discrimen.

III.

Fungus haematodes et f. medullaris essentialiter non differunt.

IV.

Deligatio funiculi spermatici totalis in castratione saepissime instituenda est.

V.

Morbi psychici nulli, nisi symptomatici.

VI.

Phthisis phthisin per contagium producere potest.